

XIX. Superimponit etiam huic urceo suo commo-  
dissimè, loco recipientis sphærici, orbiculum orichalceum,  
qualem nos hujus Tentam. num. V. descripsimus, cui pecu-  
liarem insuper adaptavit fabricam, cujus ope malleolus fer-  
reus ad campanulam metallicam, sub campana vitrea suspen-  
sam, allidi pro lubitu nulloque negotio potest, ad sonorum  
debilitatem in vacuo æstimandum; quæ Lectorum nostro-  
rum oculis subjiciatur, credo, haut indignam. Mest camp-  
nula (vid. Fig. 1c. num. 2.) supra canaliculum parvulum  
NO (qualis à nobis num. V. descriptus est) ope cochleæ N  
firmata, P Q R S malleolus: X rotula dentata super cylin-  
drulum orichalceum Y Z, quem foramine exactissimè ad-  
aptato recipit orbis orichalceus, firmata. Cùm igitur, ex-  
haustâ priùs superimpositâ campanâ vitreâ, cylindrus Y Z  
manubrio suo Z inferiùs extante convolvitur, rota X den-  
ticulis suis brachiolum transversum S antrosum emovendo  
supernè malleolum P à campanæ contactu tantisper abdu-  
cit, qui mox à prætereunte denticulo infra ad S dimissus, ad-  
juvante præsertim pinna chalybeâ seu elatere T V, cum im-  
petu resilit, campanamque pulsat &c.

XX. Non negleximus denique his etiam Phænome-  
nis assignare causas suas in sequentibus conclusionibus:

CONCLUSIO I. Cùm primo quoque antliæ haustu  
elaterium aëris qui est intra campanam, statim debilitetur,  
externus integris adhuc viribus extus incumbens non solum  
deprimit campanam, sed etiam, cùm tam fortiter eam de-  
primere nondum possit (renitente quippe adhuc interno,  
quamvis aliquantò debiliùs) quin circa ima ejus labra fissuræ  
quædam minutissimæ adhuc hient, per has ipsas, tametsi hu-  
more ex corio subjecto expresso opletas, introrumpere ad-  
nititur; ita stridorem illum quasi ferventis aquæ & bullulas  
exiguas insufflando producat.

CONCLUSIO II. Quod verò Campana latioris infra  
labri, cùm semel exhaustus aër & postea tamen redditus esset,  
non

Causa 1.  
Phæn.

Causa 2.  
Phæn.